LIBER SEXTUS ASTRONOMICUS,

In quo explicatur

LOCULAMENTUM SEXTUM ORGANI MATHEMATICI,

ſignatum litterâ F, & continens Tabellas

pro

ASTRONOMIA;

Traditurque uberior pro eadem

INSTRUCTIO.

PROOEMIUM.

SI verum eſt, quod Magnus Plato in Epinomide cenſet, Aſtronomiam, quæ cœli ac cœleſtium corporum ſitum, ordinem, motum, magnitudinem, diſtantiam, proportionem mutuam, aliaque phænomena, & accidentia conſiderat, alia ingenia non requirere, quàm cœleſtia, nec naturam hominis aliam, quàm admirabilem; in confeſſo omnibus eſt, *Aſtronomiæ excellentia.*